



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

Sanctissimo Ac Beatissimo Patri, Et Domino, N. Pavlo V. Svmmo Catholicæ  
Ecclesiæ Pontifici, Iacobvs Alvarez De Paz, Presbyter E Societate Iesv,  
Sempiternam Fœlicitatem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)



SANCTISSIMO

AC BEATISSIMO

PATRI, ET DOMINO,

N. PAVLO V. SUMMO

CATHOLICÆ ECCLESIE

PONTIFICI,

IACOBVS ALVAREZ DE PAZ,

PRESBYTER E SOCIETATE IESV,

Sempiternam Fœlicitatem.



*VPERIORIBVS*  
*annis, PATER BEA-*  
*TISSIME, primum*  
*de Vita spirituali, & eius*  
*perfectione, tomum, in quinque libros dis-*  
*tributum, tua isti, quâ proximè ad Deum*  
*accedis, Maiestati consecraui: Tu il-*  
*lum eâ beneuolentiâ, ac pietate, quâ ei-*  
*dem, cuius locum in terris obtines, es si-*

millimus, suscepisti. Ecce nunc ex eodem  
Antarctico Hemisphærio tot terrarum  
spatiis, ac marium vastitate ab ipsâ Ro-  
manâ sede, ex quâ toti orbi præsides, disiun-  
cto, tuis sacratissimis pedibus, quibus super  
aspidem & basiliscum ambulas, offero se-  
cundum. Summa mihi spes est ex benignis-  
simâ tuâ pietate concepta, alterum hunc  
ingenioli mei foetum, quem ante multos an-  
nos conceptum, hosce quatuor, ac sæpe inter  
longissimâ ac difficillimâ viâ discrimina &  
difficultates, parturiui, hoc demum anno  
exeunte, inter varias occupationes peperî,  
te eâdem benevolentia suscepturum, cum  
& hic eâdem submissione, quâ primus, eo-  
demque animo tibi, qui semper es idem, of-  
feratur. Duo sunt non aurea munera, sed  
era minuta, quæ misi, si non eâ religione,  
quâ vidua sua, quâ tamen potui, in ga-  
zophylacium Ecclesiæ, cuius tibi tradita

sunt

sunt claves: sed quæ suâ æstimatione non multum habent laudis, si voluntas inspicatur offerentis, non erunt, cum hilarem datorem Deus diligat, contemnenda. Primum qui suscepisti, non potes non suscipere secundum: immo tibi tuo iure debitum posses vel non oblatum ab inuito repetere. Sed ut secundus hic liber nuper in communem lucem datus, liber sit ab oblatantium linguis, liber à mordentium dentibus, germani sui Patronum, sub cuius umbrâ tutum ubique fuisse, cuius luce, in Italiâ, Galliâ, Hispaniâ, & Orientis solis Indiis, ac Occidentis regionibus colluxisse conspicit, querit, postulat, exposcit. In primo, ubi de doctrinâ perfectionis, ac naturâ sanctitatis agitur, luxuriat aliquantulum oratio: in hoc, ubi de extirpandis vitiis animi, ac sedandis eius motibus, necnon de inserendis virtutibus, & earum

exercitationibus promouendis disputatur,  
pressior aliquantulum, & concisior est  
stylus. Meum fuit, vires, corporis qui-  
dem, variis aegritudinum molestiis debili-  
tatas, animi, varias ob causas debiliores,  
quoad potui, intendere, & propositum mi-  
hi scopum, si non assequi, saltem insequi,  
quantum possem. Tuum erit, **BEA-  
TISSIME PATER**, pro inge-  
nitâ tibi à naturâ, ut omnes prædicant,  
& additâ cum supremo Pontificatus mu-  
nere clementiâ, filioli tibi multis nomini-  
bus deditissimi voluntatem inspicere, ac  
tui patrocinii & fauoris auram nunc ad  
extirpanda vitia, & inserendas Virtutes  
inspirare. Non minus hoc negotium,  
quàm illud, quod in primo tomo confeci-  
mus: nec magis in cognoscendo, & aman-  
do perfectionis fructu, quàm in eradicandis  
noxiiis & infructuosis vitiorum arbu-

sis,

stis, & in plantandis speciosis fructiferis-  
que Virtutum arboribus boni & diligen-  
tis agricolæ desudat industria. Vtrum-  
que ad te munus spectat, qui constitutus es  
caput Ecclesiæ ut euellas, & destruas, &  
disperdas, & dissipes, & ædifices, & plan-  
tes. Nec minor tibi potestas data est, cui  
dedit Dominus prope sibi parem in terris  
Ecclesiæ maximam, ac supremam, ad Vir-  
tutum insitionem, quàm ad extirpationem  
vitiolorum: ad ædificationem bonorum, quàm  
ad destructionem malorum: Quique ( ut  
Sancti Bernardi verbis utar ) primatu  
es Abel: gubernatione, Noe, Patriarcha-  
tu, Abraham: ordine, Melchisedec: Pontifi-  
catu & unctioe, Aaron: auctoritate, Mo-  
ses: iudicio, Samuel: potestate, Petrus:  
ego addam, ut nomine, sic & zelo &  
charitate, Paulus. Viue igitur diu ac  
felicissimè, in hac supremâ Maiestate,

& Petri nauem tibi commissam, tutam &  
incolumem tuere, donec ad Petri prope an-  
nos perueniens, ex ipsa primâ terrarum  
Sede tuis dignâ virtutibus ad altissimam  
calorum tuis debitam meritis traducare.  
VALE.

